

quia quod non est à deo, stare non potest, dissoluunt impedi-
mēta Satanae. ¶ Qua est enim nostra spes, aut gau-
dium, aut corona gloriae, nonne uos coram domino no-
stro Iesu in aduētū eius? Vos enim estis gloria nostra &
gaudium.) Manifestum est, quia perfectio discipulorū
gaudium & corona magistri est. Hi enim sunt qui labo-
res fructuum suorum edituri sunt, fructum enim magi-
stri discipulus est obediens, cuius dum bona conuersatio
proficit magistro, fructus sui adet laborem. Labor
enim discipuli in opere bono, coronam dat magistro in
dice Christo.

CAPVT III.

IDCIRCO iam non tolerantes, optimum duximus
ut Athenis soli delinqueremur, & misimus Timo-
them fratrem nostrum, & participem operis dei in
Euangelio Christi, ad hoc, ut & uos confirmet & depre-
cetur pro fide uestra, ne quis moueatur in his pressuris.
Ipsi enim scitis, quia ad hoc positi sumus. Nam & cum
apud uos eramus, predicabamus uobis passuros nos pres-
suram, sicut factum est, & scitis.) Desiderij supramemo-
rati causas expressit. Idcirco enim praesentes esse apud
eos uolebant, ut animos eorum firmarent, ne quis ex his
scandalum pateretur de pressuris apostolorum, ut qui
tanta signa facerent, aliquando infirmarentur, ita hu-
miliati, ut uerberibus & uinculis subijcerentur. Ad quam
rem excusandam, Timotheum missum testatur, idoneū
doctorem, qui ostenderet hinc merita crescere Christia-
nis, si pro nomine domini passi, gratias agant, à quo hu-
ius rei mercedem expectant, simulque preces deo funde-
rent, ut stabiles essent. Quam persecutionem idcirco se
passuros predicauerant, ut per id quod praescientiam
huius rei habere se protestarentur, posse se effugere, &
declinare has iniurias approbarent: sed quia spes ma-
gna in his est, ideo illatas sufferre quidem libenter.

¶ Ideo & ego non tolerans amplius, misi ad hoc,
ut cognoscerem fidem uestram, ne quomodo at-
tentauerit ille tentator, & inanis fiat labor noster.)

Istud propter quosdam dicit, qui possint sedaci astutia
Satanæ, quia in omni plebe est pars firma & infirma, quo-
 rum causa sollicitus erat, ne amitteret fructum credulita-
 tis eorum. **E**t quia diutius passus non est, nescire se quid
 certius ageretur circa illos, misit **Timotheum** episcopum
 à se creatum, à quo posset certum scire. ¶ **M**odo autem
 cum uenisset **Timotheus** ad nos à uobis, & annunciauisset
 nobis fidem & charitatem uestram, & quoniam memo-
 riam nostri habetis bonam, semper desiderantes nos ui-
 dere, sicut & nos uos, ideo consolationem sumus adepti
 fratres in uobis super omni necessitate & pressura nostra
 per uestram fidem, quia nunc uiuimus, si uos steteritis in
Christo. Declarauit cur a lacri sermone scribat ad eos.
 Ideo enim nuncio ueniente, & firmitatem deuotionis il-
 lorum in fide & dilectione Apostoli declarante, lætus fa-
 ctus de communi concordia, scribit ad eos, securum ha-
 bens fructum fidei, & bonæ conuersationis eorum. ¶ **Q**uā
 enim gratiarum actionem possumus referre deo de uo-
 bis super omni gaudio, quo gaudemus propter uos corā
 deo nostro noctu dieq; abundantissime orantes, ut uide-
 amus faciem uestram, & suppleamus quæ desunt fidei ue-
 stræ. Nihil dicit tam dignum, quod sufficere possit ad
 compensationem acquisitæ salutis gētium. **E**t quoniam
 prouexerant se persequerantia fidei, & actu uitæ melioris,
 magis ac magis cupit eos uidere, ut ea quæ ad perfectio-
 nem illorum pertinet ediscant sacramenta scilicet rerū
 spiritalium, quæ facile publicari non debent, ut scirent
 quis & quā immensus est quā iudicem sperabāt. **A**liud
 est enim fidem accipere, & aliud expositionem fidei. **A**-
 ltera enim disputatio est de natura patris & filij, & alia
 de personis. **P**ater ingenitus est, filius uero genitus. **Q**uā-
 tum ad personas pertinet, diuersum uidetur, cum sit in-
 diuidua unitas naturæ. **V**nitas enim non in persona est,
 sed in substantia. **S**piritus autem sanctus nō de gener pu-
 tetur, quia tertius ponitur. **Q**ui ergo de secunda perso-
 na non ambigit, admittit & tertiam. ¶ **I**pse autem deus
 & pater noster, & dominus noster **Iesus Christus** dirigat
 uitam